INAUGURALIS
CONTINENS

PRAXIN MORBORUM SOPOROSORUM,

QUAM,

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex Authoritate Magnifici Rectoris,

D. LUCÆ SCHACHT,

Philoſ. & Medic. Doct. hujuſque in Academiâ Lugd.-Batavâ Profeſſoris Celeberrimi,

NEC NON

Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *Decretô,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Publico examini ſubjicit

ABRAHAMUS GROMMEE, Delph.-Batav.

Ad diem 24 Octobr. locô horiſque ſolitis.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDC LXXXIV.

36
1185.g.16
36
K.

Viro præclaro, ætate ac virtute venerabili

D. HENRICO GROMMEE, Patruo ſuo unico, ob plurima in ſe collata beneficia Parentis loco merito colendo.

NEC NON

Celeberrimis, Excellentiſſimis, Expertiſſimiſque

VIRIS

D. D. Profeſſoribus in Alma Lugd.-Batava Ampliſſimæ Facultatis Medicæ.

UT ET

D. D. BURCHERO DE VOLDER, Philoſ. & Med. Doctori illiuſque & Matheſios in hoc Lycæo Profeſſori Acutiſſimo.

Præceptoribus, ſtudiorum ſuorum cum Medicorum, tum Philoſophicorum fautoribus, ac Promotoribus quam plurimum meritis & ad rogum uſque venerandis, colendis,

Hunc tenuitatis ſuæ fœtum in devinctiſſimum animi ſymbolum

Submiſſe offert

ABR. GROMMEE,

Auctor.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

CONTINENS

PRAXIN MORBORUM SOPOROSORUM.

PROOEMIUM.

M*irum fortaſſe nonnullis videbitur, me hiſce in theſibus illotis quaſi manibus tantum aggredi opus, cum ad* morborum ſoporoſorum praxin(*non perſpecta prius eorundem theoria*) *me accingam, mirari vero unuſquiſque deſinet, qui novit ante quoſdam dies horum morborum theoriam à* D. D. Petro. Frederico. d'Orville. Med. Doct. ſingulari meo amico, *ſolidiſſimis ratiociniis eno-*

datam ac planam redditam fuiſſe, quam repetere eſſet cramben bis coctam offerre, quare omnino in ea acquieſcens, & ut ſtem promiſſis, telam ab ipſo ad medium textam, totam abſolvere (in Sempiternum noſtræ amicitiæ ſpecimen & vinculum) in me ſuſcepi.

Verum enim vero cum ea, quæ aggreſſus ſum, intimius contemplor, experior rem ſane magni eſſe momenti, tum quia morbi ſunt, quorum cura etiam Medicis longa annorum praxi expertiſſimis multum difficultatis (plerumque ſine expectato voti ſucceſſu) creat; tum etiam, quod mihi, qui primoribus modò labiis praxin Medicam ſalutavi, ſatis conſcius ſim

—— quam ſit mihi curta ſupellex,

Ad tanti ponderis opus, prout decet, enucleandum. Vt tamen plerorumque cordatorum Medicorum veſtigia inſequar, quorum opus eſt, in curandis ægris non deſperare, verum contra prudenti cum audacia curam ſuam inſtituere, hinc quoque praxin morborum ſoporoſorum *bono cum animo, quantum tenues noſtræ permittunt vires, tractabimus. Secundet* Deus T. O. M. *noſtros conatus, votiſque adſpiret, ut omnia non ſolum in proximi ſalutem, ſed præcipue in nominis ipſius cedant gloriam.*

THE-

THESIS I.

Prioribus in theſibus cum *Soporoſorum* & *definitiones*, & *differentiæ*, & *cauſæ* tam *antecedentes* quam *proxima*, & *ſigna diagnoſtica &c.* jam ſint enumerata, & ex iis ſatis pateant, meum nunc eſt, non diutius iis inhærere, ſed potius ad ipſam ſtatim properare *Prognoſin*, attendendo ad ea, quæ nos vel ſpe conſolentur, vel metu terreant.

II.

Hæc, (cum *cauſas* viderimus tam graves *parteſque* affectas tam nobiles) non poteſt, quin ſemper portendat malum, quò vero major ſit gradus affectûs, eò majus imminet vitæ periculum, atque ita *Carus Comate* & *Lethargo* periculoſior eſt, *Apoplexia* vero *Caro*; qui gradus ſi *fortes fuerint omnino incurabiles* à *Divo* noſtro *Sene* cenſentur; quod minime mirum; pituita enim abundans, & nervorum principia obſidens, ſpiritus animales per eos ad organa deferri non permittit, quorum fluxus cum ſit neceſſarius, ut in corde rite ſanguis fermentetur, ut muſculi ad motus ſuos peragendos inflentur, ut tubuli nervorum diſtendantur, ut fibrillæ libere concuti queant, itidem ut fermenta noſtra ſpiritibus ſint fœta (nam ſecus inertia ſunt) hinc apparet, ex mox deſignato caſu, in quonam ægri verſentur periculo, & niſi brevi curentur, eos emori; ſenſim enim obſtructiones fiunt pertinaciores, & tandem omnes naturales ſufflaminantur fermentationes. Cum *ſuperveniant morbo acutiſſimo, valde periculoſi*; denotat ſpiritus quam plurimos eſſe conſumptos: ſic etiam in Senibus ob partium mobilitatem minorem, ſpiritus pauciores, fermentationeſque debiliores, ut plurimum lethales ſunt. *Recidivi cum ſunt*, *malum*: Quoniam vaſorum ſanguiferorum in cerebro pori tunc ſimilibus tranſmittendis particulis aſſueſcunt. *Curatu difficiles* etiam *ſunt*, ob viæ longitudinem, unde medicamenta, quæ tamen ſemper minori quantitate ad partes ſuperiores perveniunt, multum de viribus ſuis amiſerunt, & ægri in paroxyſmo hærentes nec Medicamenta, nec ad reficiendas vires alimenta aſſumere compotes ſunt. Atque hæc pauca *in genere* de *Prognoſi* dicta ſufficiunt,

III.

Ut enim *theſes hæ* prioribus correſpondeant, oportet, ut, quan-

tum poſſibile eſt, eandem fere retineant methodum & ordinem videlicet non ſolum *in genere* ſigna producendo *prognoſtica*, ſed *ſpeciales* differentias quaſdam, quibus alter altero periculoſior ac curatu ſit difficilior, annotando.

Coma igitur *vigil* quod attinet, à cæteris diverſum quid habet; nam, licet ſpiritus ſint pauci (ut ex *theoria theſ. xv.* apparuit) plurimi tamen adhuc diſperguntur. Periculoſus etiam eſt, quoniam ſæpe dubitamus, & judicatu ſæpe eſt difficile, an morbus ſit ut ſpecies ſoporis, an verò, ut nimia vigilia tractandus; Facile etiam in *Phrenitidem* vel *Lethargum* degenerat, cum, *teſte Galeno*, tam in hunc quam in illum præceps ſit.

Coma ſomnolentum nil peculiare, niſi quod, Medico cum judicio curam inſtituenti, cæteris ſpeciebus curatu ſit facilius, obtinet.

I V.

Lethargo febris major ſuperveniens, bonum, propterea, quod pituita peccans à calore & fermentatione majore febrili inciditur, attenuatur, ac proin cauſa tollitur.

Apoplexia ex ſoporoſis affectibus non minima, Illa, quæ *ſanguinea* audit, omnium merito *periculoſiſſima*, & fere *incurabilis* habetur; ſanguis enim in cerebri ventriculis grumefactus, dum particulæ ſubtiliores avolârunt, non niſi difficillime ex iis tolletur.

Altera *pituitoſa* ſæpiſſime in *Paralyſin, Hemiplegiam*, aut *Paraplegiam* degenerat ac terminatur: tum videlicet, cum pituita magis alteri medullæ ſpinalis parti, vel toti impingitur.

V.

Reſtaret hic quidem, ut *Epilepſia prognoſes*, quas plurimas habet peculiares, enarraremus; ſed quoniam hic morbus non ex profeſſo, ratione aliorum horribilium ſymptomatum, ſed tantum ratione ſui ſoporis hic inſertus & annumeratus eſt; non aliam ac reliquis, & præcipue *Apoplexia Pituitoſa*, *prognoſin* adſcribi opus eſſe judicamus.

Catoche, qui ultimo nobis occurrit, (& *theor. theſ. xiv.* explicatus habetur) ut cæteri periculoſus, difficillimèque propter parvitatem cauſæ, in quam torrens medicamentorum non tam fortiter agere queat, tollitur. Uti enim in Macrocoſmo, ubi torrens aquarum majorem efficaciam in inſulam exercet majorem, quam minorem, ſic in Microcoſmo idem locum habere non abſonum videtur.

At-

Atque hæc de Prognoſi tam in genere quam in ſpecie dicta ſufficiant, plura qui velit adeat, ſi placet, Auctores.

V I.

His ita conſideratis ſequitur, ut ad ipſam progrediamur *Curationem*, quæ fiet Medicamentis non (uti mos plurimis eſt empiricis) ſine ratione & judicio ex plurimorum Auctorum libris deſumptis, eodemque modo adhibitis, verum talibus, quæ hiſce in morbis aliquid præſtare poſſe judicio ac ratione aſſequi compotes ſumus. Quamobrem Medicaminibus, quibus utemur, breviſſime, quantum poteſt, quaſdam rationes pro ingenii modulo hinc & inde adjungemus, ut ex hiſce ratio praxeos noſtræ omnibus apparere queat.

V I I.

Morborum itaque horum ſoporoſorum Indicatio duplex eſt, ſcilic. quod alia ſit *in* paroxyſmo, alia *extra* eundem: quarum *prior* præcipue in ægri excitatione; *poſterior* in obſtructionum ablatione, nec non craſſitiei & viſcoſitatis tam correctione quam evacuatione conſiſtit.

Priori Indicationi ſubſerviunt, vel quæ motum in nervorum fibrillas introducere, vel quæ ſuo ſale volat. altius penetrare, obſtructioneſque pervadere ac pro tempore reſerare; vel quæ vellicatione ac punctione ſua levem quaſi convulſionem excitare valent, quá materia peccans à nervorum principiis diſcuti ac abigi queat; ut ſic pori occluſi rurſus aperiri, objecta cerebro repreſentari, Sp. A. à cerebro ad ſingulas corporis noſtri partes rite determinari poſſint (in quo vigilias conſiſtere *theor. th. XIV.* jamjam vidimus) ut ſic occaſio, alia (de quibus poſtmodum) propinandi nobis ſuggeratur.

V I I I.

Hoc jam efficere valent, omnes corporis agitationes, magni clamores, appellationes nominis proprii, aliarumque chariſſimarum perſonarum ac rerum, capitis calidæ frictiones, punctiones, præſertim ſub unguibus: ligaturæ dolorificæ in membris externis, quæ fortiter conſtrictæ ſæpius ſolvuntur, & iterum conſtringuntur, ut continua iſta mutatione major in fibrillarum motu introducatur diverſitas, ac ſic mens magis afficiatur.

Conducunt etiam ſequentia naribus admota Sp. Salis Armon. ex calce viva recenter deſtillatus, Sp. C. Cervi oleo ſuo fœtido adhuc

[illegible] imprægn., ſales volat. [illegible] lea præparata ex Caſtor. Galban. aſſa fœt., ſuccin., [illegible] &c. ex quibus etiam ſuffumigia parari queunt. Acetum acerrimum cum Caſtor, Ruta, puleg. Hyſſop., &c. coctum, ſuper laminam effundatur candentem, cujus vapor naribus excipiatur.

A quibuſdam etiam quædam, Auctoribus vulgo *cauſtica* dicta, adhibentur; uti ſunt allii genus, ſynapi, Euphorbium &c. ſed hæc minime mihi arrident, quoniam, licet ægri ipſo in paroxyſmo dolorem ab hiſce excitatum non ſentiant, magna tamen incommoda, eroſionem ſcilic., poſtmodumque facillime partis mortificationem, creare poſſunt.

In os infundantur aquæ vitæ omnes, aq. antapoplect., anti-hyſter., guttulæ quædam Sp. Salis Armon., Sp. C. C. ſal. volat. quorund. &c. ſpirituoſa.

Nares, tempora, nucha, cordis regio, ut & umbilicus inungantur oleis, ſpirit. ſucc., cinamom., cariophyll., tartari fœtid., balſamis apoplect., vel tali paratu facillimo.

℞. Ol. nuc. moſch. exp. ʒß. lavend. roſmar.
cariophyll. ana ℈ß. ſuccin. gtt. v.
ſal volat. ol. gutt. x. balſ. peruvian. q. ſ.
M. F. ſ. a. Balſam.

Vel linimentum penetrans ſequenti modo præparatum adhiberi poteſt.

℞. Ung. de Arthan. ℥j, ol. nuciſt. expreſſ. g. xv.
ol. tartar. deſtill. ʒß. balſ: Peruvian. gutt. vj.
theriac. vet. ʒj. ol. vulpin. ſ. caſtor. lumbric. ſ. de lateribus ana q. ſ. M. F. linimentum.

quod volatil. ſuis particulis valde penetrat, cæteriſque fermentationem in humores introducit.

Pro Oxyrrhodino ſequens inſervire poteſt, quo lintea madefacta capiti, carpiſque manuum &c. applicari queunt.

℞. Aq. Cinam. ℥ij. menth. ℥v. theriac. cum caſtoreo ℥j.
ſal. volat. ſucc. ʒß. vel ſal. card. ben. ℈ij. M.

Hoc modo plurima ex ſupra dictis quiſque pro ægri, temporiſque ratione ſibi comparare poteſt.

Interim dum quædam, vel, plurima (præſtat enim hiſce in morbis plurima ſimul applicare) adhibentur; clyſter acer, vellicans

præ-

præparari poteſt, quem, ſi non adſit ſuſpicio plurimarum fæcum in inteſtinis hærentium, quæ actionem clyſteris acris inhiberent, ſtatim injici oportet: aliàs verò primò aqua tepida, cui aliquid ſalis inditum ſit, vel Clyſtere leni inteſtina eluere neceſſum eſt. Huic uſui ſequens inſervit.

℞. Decoct. comm. emoll. ex malv. &c. ℥x. huic adde
ol. Roſar., lilior. alb. ana ℥j. ſal. comm. Mß.

M. F. Clyſter.

Inteſtinis hiſce elotis, ac ad clyſterem acrem recipiendum præparatis, ingeri poteſt alter ex rad. ligneſc., cort., lignis, uti ſunt: Guajac., ſaſſafr., tamariſc., fraxin., rad. cyclam., bryon., oſtrut., ariſtol. rot., pœon. mar. &c. herbis ſal. volat. ſcatentibus; uti ſunt menth., major., ſalv., ruta, roſmar. &c. præparatus, additis poſtmodum ipſis ſal. volat. à ſubjecto ſuo vegetab. ſ. animal. ſeparatis, uti ſp. ſal. Armon., ſal. volat. omnes. Clyſter ſit talis.

℞. Rad. bryon., oſtrut. ana ℥vj. cort. & lign. Guaj. ana ℥ß.
Herb. major., beton. ana Mjß., ſem. dauci., fænic. ana ʒj.
Decoq. in ſ. q. *vini alb. gall.* (ad majorem videl. penetrationem) ſub fine decoct. adde
Pulp. colocynth. *in nodulo ligat.* ʒj.
ne aliàs particulæ quædam inteſtinorum tunicis impactæ inflammationem vel magnam corroſionem efficere valeant.
in col. ℔ j. diſſolve.
mell. ſcyllit. ℥j. aq. vitæ Matth. ℥iß.
Spir. ſal. arm. ʒiß. ſal. volat. ſuccin. gr. xv.

M. F. clyſter.

qui, ſi non excitetur æger, reiterari poteſt, vel ejus loco ſequens *Suppoſitorium*.

℞. Pulv. hier. picr. ℈ij. colocynth., ſcammon., ana gr. iij.
Mell. q. ſ. ſalis parum. M. ſ. a. & F. Suppoſ. n°. j.

IX.

Oboriri porrò hìc poſſunt quæſtiones de V. S. an ſcilic. in ſoporoſorum paroxyſmis V. S. liceret. In genere tantum ad eas reſpondemus (poſtmodum enim ſpeciatim de quibuſdam, ut *Apoplexia ſanguinea*, *Comate vigili* &c.; ubi forſan res vel in plano erit, vel contraria plane ſeſe habebit modo; ex profeſſo dicemus) quod in affirmantis tranſgrediemur opinionem: attamen quibuſdam ſub conditionibus. Si vel homini, alias fere ſano, *ſubitò* pa-

B roxyſ-

roxyſmus ſupervenerit: in quo tum vires non attritæ, ſed potius tantum oppreſſæ ſunt: vel ſi *non diu* paroxyſmus duraverit, unde non multum virium diſperditum fuerit. Vel ſi ſtatim ante paroxyſmum laudabile aſſumpſerit alimentum, ex quo vires recuperari de novo poſſunt. Vel ſi ſit plethoricus, & (de quo poſtmodum) ſi ſit Apoplecticus *ſanguineus*: hiſce, inquam, in caſibus ſanguinis imminutionem (quæ ſola mihi in Venæſectione ſcopus eſt) prodeſſe puto, quatenus tunc ſanguis imminutus ſæpius per cor circulationem ſuam continuans magis fermentatur, pituita attenuatur, & inciditur: & ſic facilius à Medicamentis regi poteſt. Dein propter pororum collapſum non tam multæ particulæ pituitoſæ in cerebri ventriculis ſegregantur & coacervantur; nec ſanguis ſub ratione ſanguinis arteriarum poros pertranſit.

Quod autem attinet ad Venarum electionem, nullam aliam pono in ea diſtinctionem, niſi eam, quæ eſt inter venas partis corporis *inferioris* & *ſuperioris*. *Inferiorem* videlicet hoc in caſu, ubi ſanguis peccat viſcoſus, craſſus, ſecans; *ſuperiorem* vero contrariis in caſibus.

X.

Sternutatoria etiam hic in conſiderationem venire poſſent, quæ Auctores fere ſemper nullo diſcrimine adhibent, nos autem, exiſtimamus ea tam obeſſe, quàm prodeſſe poſſe: Cum enim propter irritationem nervorum ſequatur convulſio, & magna capitis concuſſio, non ſolum illud, quod orificiis nervorum inhæret, abigitur, verum etiam major ejus copia de novo ex iſto tremore ex arteriis excuti poteſt, atque hinc magis nocere quam levamen adferre, & non niſi eo in caſu, qui maximus fere habetur, ubi pejus nil accidere queat (in eo enim præſtat remedium adhibere anceps, quam nullum) eſſe uſurpandum cenſemus: tale aliquod ſi quis deſideret, comparare ſibi poteſt ex fol. tabaci, rad. Helleb. alb., ſem. nigell., roſ. rub., Ambra Moſch. &c.

X I.

Veſicatoria, quibus hic ſæpiſſime ægri excruciantur; quæque fere ſemper procul à parte affecta inſtituuntur, parum prodeſſe puto, niſi quod forſan parti affectæ quam proxime applicata, tremorem & dolorem magnum ægro incutientia, à ſomno eum excitare poſſent. Atque hæc de *curatione in Paroxyſmo.*

XII. Tem-

X I I.

Tempus eſt, ut Patienti *jam excitato* officia noſtra offeramus & curam extra paroxyſmum inſtituamus; In quo nobis 1. obſervandum occurrit, æger an ſit plethoricus, an magna laboret cacochymia, vireſque an conſtiterint; tali dato caſu VS. omnium primo adminiſtranda eſt, ut ſanguinem imminutum facilius regere Medicamentis queamus: ſcopus enim hic (uti theſ. noſtr. 7. vidimus,) in intemperiei craſſæ, partim attenuatione, partim ejuſdem è ſanguine, & obſtructionum è capite, ablatione conſiſtit.

X I I I.

Æger ſi eſſet nauſeabundus, appetituſque proſtratus (quæ ſignum præberent pituitæ in ventriculo hærentis) emeticum quoddam aſſumere poſſet ex merc. vitæ, ex gumm. gott., ex vitro antimon., ex Croc. Metallor., ex vini ℥ij, quod per noctem in poculo Regulino ſteterit, vel ſimili, ſic

℞. Mercur. vitæ gr. ij. l. iij. conſerv. Roſar. P. ℥ß.

vel elegantiſſimum fieri poteſt ex infuſione Croci Metallorum cum ſyr. Violar. & paucis gutt. ol. ſulph. p. Camp.

vel poſſunt etiam Purgantibus admiſceri, ut ſic videatur, quo natura verget, nam ſi ad nauſeam, ſuperius; ſi ad dejectiones, inferius purgabitur. Ex. Gr.

℞. Extr. Cathol. gr. xiv.
Merc. dulc. gr. iv.
vitæ gr. j. l. iß.
trociſc. alh. gr. ij.
Ol. Cinnamom. gtt. ij.
M. F. pill. n. vij. deaurentur.

X I V.

Poſt hæc exhibentur talia, quæ particulis ſuis incidere, attenuare pituitoſum iſtum ſanguinem valent: qualia ſunt, *Herb.* Menth., Majoran., Beton., Card. Ben., Salv., Origan., Roſmar., Verben., &c. *Flor.* Roſmar., Beton., Croc., &c. *Sem.* Dauci., Fænic., Aniſi, Aromata quævis &c. omnia, quæ Sal. Volat. gaudent, ac proin ſanguinem ad majorem fermentationem diſponunt: ſed quoniam hæcce nimis ſubtilia non ſunt paria ſanguini huic craſſo attenuando, ſed potius ſæpiſſime retruduntur, imò ipſa flectuntur, oportet talia, quæ majoribus viribus majoreque particularum rigiditate pollent, adhiberi. Hoc autem nobis

bis præſtabunt ligna, Cortic., Rad. ligneſc. &c. qualia ſunt *lign.* Guajac., Saſſafr., Santal., *Cortic.* Lign. Guaj., *Rad.* cappar., tamariſc., &c. *Rad.* Chinæ, Salſaparill., lappæ maj., bryon., oſtrut. &c. *Baccæ* etiam junip., laur., ſic etiam tartar., Sal. Armon. & talia quam plurima, ex quibus multæ diverſæ præparari poſſunt formulæ, quarum uſitatiſſima talis eſſe poteſt.

℞. Lign. & Cort. Guajac. ana ℥v.
Saſſafr. ℥ß. rad. Chin. Salſaparill.
Cort. rad. Cappar. tamariſc. ana ℥j.
Herb. Card. Ben., becon. ana Mß.
Sem. ſiler. mont., dauc, ana ℥iij.
F. Infuſ. cal. p. noct. in V. alb. Gall. l. Hydromell. q. ſ. poſtea f. decoct. lenta in vaſe duplici Colat. ℔iv. add.
Mell. Scyllit. ℥iß
Sal. abſinth. l. mixti ℈ij.
volat. arom. ℥ß.
M. F. Apozema, de quo ter quaterve quotidie vacuo ventriculo bibat ℥iiß.

per tale aut ſimile apozema, quod reiterari & commutari pro Medici, ſ. Ægri lubitu poteſt; ſanguis inciditur & ſenſim ad purgationes. ſ. evacuationes præparatur.

X V.

Sanguine hoc, vel ſimili modo præparato, pituitaque jam mobiliori, fluidiorique redditâ, neceſſum eſt, illam, antequam rurſus hic, vel illic ſubſiſtat, purgatione evacuari, fit autem hoc commodiſſime ac promptiſſime pituitam purgantibus; ut ſunt, Agaricus, Mechoac., Jalapp., Colocynth., Cartham., Opopan., Merc. dulc., extr., Cathol. &c. ex quibus pillulæ, boli,, potiones, pulvereſque &c. concinnari queunt: ex quibus formulæ facillimæ cum ſint omnibuſque fere notæ; ne theſes hæ in nimiam excreſcant molem, eas non adjungemus, ſed B. L. judicio relinquemus. Tantùm hoc hic notabimus, quod poſt purgationem iterum ad apozema & poſt 4. vel 5. dierum apozematis uſum rurſus ad purgationem ſit tranſmigrandum. Interim etiam ingerenda talia, quæ fermentum ventriculi, quod indubie multum enervatum ſit, exacuere & elevare queunt: talem in ſcopum inſerviunt. Cremor tartari a. ʒß. ad ʒj. tart., vitriol. a. ℈j. ad ʒß., ſpir. acidi., ut ſp. ſal. D., nitri D., à gutt. xij. ad 30, 35. vel ſal. volat. arom.

arom. & oleoſ. ad ℈ß., aromat. quæd., elix. P. Parac., idque pro ratione ſalis, vel acidi in ſanguine abundantis.

XVI.

Cum autem ſpurcities illa omnis per purgationes non tam accurate evacuetur, & jam bis, terve, ſit uſurpatum purgans, non alienum videretur, illud, quod in partium ſolidarum poris adhuc reſidet, jamque ſenſim per apozema aliaque ſit ſolutum, inſenſibili tranſpiratione, ſeu per ſudores è corpore excutere: hunc in finem conveniunt theriac., mithrid., diaſcord., confect. hyac., alkerm., croc., tinct. caſtor., Croc., Aqua theriac. ſimpl., Diaphoret. in peracutis Parac., ſal. volat. ſucc., C. C., ſal. volat. oleoſ. & aromat., ſal. herbar. alkal., ad majorem autem perterebrationem & pororum apertionem, fortioribus ex mineralium regno deſumptis uti poſſumus, ut ſunt bezoard. min., Regul. antim. M., Merc. Diaphoret., Antim. diaphor., tinct. metallor., quæ partim particularum ſubtilitate conjuncta cum rigiditate, partim æthere tranfluente, ſanguiniſque motum inteſtinum augente, opus ſuum efficiunt: ex hiſce præter cætera talis formula concinnari poteſt.

℞. Regul. antim. M. gr. xiv. bezoard. M. gr. viij.
Croc. opt. gr. vj. Caſtor. gr. iij. ſal. Card. Ben. ℈j
M. F. Pulvis. cui ſi add. theriac. ʒß. F. Bolus.

qui dilutus in vino, vel aqua Card. Ben. cui ſyr. Card. Ben. vel, ſimilis additus ſit. F. Hauſtus ſudorificus.

XVII.

Plurimi etiam hiſce in morbis *Maſticatoriis* utuntur; quæ, quoniam tantum vaſa oris ſalivalia præcipue expurgant, ac parum ex iis ad ſanguinem derivatur, parvi momenti cenſemus.

XVIII.

Fonticulos, qui etiam hic, uti in aliis morbis Chronicis, *revulſionis*, vel *derivationis* gratia, aut ad alium aliquem ſcopum adhibentur; tanquam inutiles plane, ac rationi & experientiæ repugnantes, rejicimus. Atque hæc ad brevem horum morborum curationem tam *intra*, quam *extra* paroxyſmum ſufficere mihi videntur.

XIX.

Tempus jam exigit, ut ea, quæ in hac, vel illa morborum ſpecie à communi & jam annotata curatione deflectunt, annotemus.

Quantum itaquè ad *Coma ſomnolentum*, *Lethargum*, *Carum* & *Apopl. pituitoſam* hi dicto jam modo curari debent, niſi quod quoad *magis* & *minus* tantum differre curationes neceſſum ſit. *Coma* enim *ſomnolentum* non tam fortibus debet tolli ac *Lethargi*, ne forte in *Coma vigil* degeneraret: ſic *Lethargus* debilioribus tollitur quàm *Carus* & *Apoplexia*. Dein de ſoporoſorum febri non eſt, quod multum ſolliciti ſimus, cum, præterquam quod ſalutaris ſit (ut in prognoſi apparuit) ac proin ab Auctoribus quibuſdam ſtudio eam procreari juſſum fuit, effectus & ſymptoma ſit pituitæ iſtius abundantis (quod ex *theor. theſ. XVII.* patuit) quapropter Medicamentis ſupra nominatis cauſâ ſublatâ, effectus etiam tolletur.

X X.

In *Comate vigili*; quod *theor. theſ. XV.* vidimus ex paucitate ſpirituum, eorumque acredine ortum ſuum ducere, res aliter ſeſe habet. Hic enim; ſi videlic. certi ſumus, Ægrum vigiliis magis quam ſomno teneri; ſcopus acredinem illam obtundendi, & ſpiritus molles augendi, ne ſc. in ſomnolentiam tranſmeët, eſſe debet. Porro ſi forſan ex morbo quodam provenit ardenti, ille tanquam cauſa primo abigi debet, de quo tractare hujus non eſt loci. Priori illi ſcopo ſatisfaciunt Medicamenta lenientia, ſanguinis acrimoniæ contrariantia, & viſcoſitatem leniter incidentia temperata; uti ſunt: *rad.* Alth., malv., tuſſilag., leviſtic., nymph., Scorſone., Zalſapar., *Cort.* tamariſc., Cappar. *Lign.* Santal. alb, *Herb.* malv., alth., tuſſilag., violar., verbaſc., ut & earum *flores* ſic Card. ben., *ſem.* leviſtic., papav., alth., 4. frigid. Maj., hyoſciam. alb., malv., paſſul. maj., jujub., ſebeſt., tamarind., hordeum. C.C. limat., lac dulc., ſic & camph., bolus arm., terra ſigill., corall. acido impraegn., ſacch. ſaturn., tartar. vitriol., lap. prunell., ſpir. nitri, laud. opiat., ſicc. vel, liquid. quæ tamen circumſpecte (quod bene notandum, præſtat enim hic per emoll., quam per anodyna, ob metum ſomnolentiæ, operari) & non niſi graviori in caſu, ubi emollientibus nil poſſumus, uſurpare debemus: ex hiſce omnium generum formulæ parari poſſunt, ut apozemata, lacticinia, pulv. &c. quarum plurimas recitare pagellarum vetat anguſtia. *Oxyrrhodinum* quoddam capiti applicari poteſt, quale ex. gr.

℞. Aq. ſolan, papav. a. ℥ij aceti Roſar. ℥iß.
Laud. opiat. ſ. opii crud. ℈j. camph. gr. xv.
M.

Pe-

Pedes in balneo, in quo capita papav., flor. camom., & reliquæ herb. emoll. coctæ ſunt, teneantur, ut per poros præ calore apertos adſcendant blandi iſti vapores, qui particulis ſuis mollibus & aquoſis ſanguinis acrimoniam temperare, & quietem ei inducere valent. *Sudorifera* hic, quia cum ſudoribus etiam ſal plurimus excernitur, locum ſuum ſortiuntur. *VS.* vero propter ſpirituum paucitatem, minime. Notari adhuc hic velim, quod in Medicamentorum ſanguinis impetum ſedantium exhibitione à minori ſemper ſit incipiendum doſi, *ſenſimque* adſcendendum ſit, ſi opus fuerit.

X X I.

Progredimur jam ad alium, qui reſtat, caſum *Apoplexiam* ſcil. *ſanguineam*, quæ (uti *theor. theſ xviii.* monſtratum fuit) cum ex plethora, vel, ex ſanguine nimis ſubtili aut acriori &c. proveniat, contrariam fere alteri admittit curam. Curationis enim ſcopus hic eſt, ſanguinem nimium imminuere, nimis motum compeſcere, ejus acrimoniam obtundere. Hunc in finem VS. ante omnia inſtituenda eſt, ut ſic ſanguine imminuto arteriæ earumque pori collabantur, & occaſio eundem ſub ratione ſanguinis in cerebri ventriculos tranſmittendi ſurripiatur. Dein Medicamentis theſ. præced. dictis inſiſtendum. valet & formula ſequens.

℞. Boli Arm. ℈j. lap. prunell. gr. xvj.
Camph. gr. v. ſach. Satur. gr. iij.
M. F. pulvis, qui bis terve quotidie reiterari poteſt.

Interim ad majorem ſalis acrimoniæ obtuſionem in potu uſurpet ſpir. nitr., ſpir. ſal. d., ſpir. vitriol. phil. ad guttas L. uſque quotidie.

Reliquum autem, diſcuſſio ſc. jamjam extravaſati ſanguinis, ſi non magna adſit in copia, corporis perpetuæ digeſtioni committendum eſt, ſic enim per calorem, ut & humidum, qui ſemper naturaliter in cerebro locum habent, ſenſim grumi illi incidentur, attenuabuntur, tandemque diſcutientur; fitque hoc tum eo modo, quo vulgo per naturam Medicatricem quid factum fuiſſe ajunt. *Sudorifera* interim lenia & non ſalina propinari etiam debent, ut ſic ſenſim extravaſata quædam è corpore ejiciantur.

℞. Bezoard. M. gr. xvj. Antim. Diaphor. ℈ß.
Camph. gr. viij. laud. opiat. gr. j. M. F. pulvis.

Cui ſi add. diaſcord; ʒß. F. bolus. Hunc ſi commiſcueris Aquæ

Card.

Card. Ben. ℥ij, addend. ad ſaporem: & majorem [illegible]
papav. ℥iij. habebis Hauſtum.

Orta ſi fuerit ab ictu, lapſu, &c. poſt V. S. Vulnus [illegible] dandum Medicamentis appropriatis, ut ſic ſanguinis impediatur affluxus.

XXII.

Porrò de *Epilepſia*, uti in *prognoſi* pronunciavimus, non eſt, quod ſimus dicturi: Cum enim non tantum quoad ſoporem conſideranda ſit, ſed & ſecundum reliqua ſua ſymptomata; cauſa non ſolum ſoporem producens, ſed fermentum acre epilepticum Medicamentis idoneis (de quibus ex profeſſo hic agi nequit, neque hujus ſunt loci) ſuperandum erit.

XXIII.

Catalepticos quod attinet; ut reliqui ſopore affecti per jam dicta ſunt excitandi, & tentandum an Catarrhus ille (de quo *theor. theſ.* XIX.) per remedia in *theſ.* N. *prioribus* propoſita diſcuti poſſit.

XXIV.

Diæta hic ut in reliquis fere omnibus ſervanda eſt tenuis, parca, ex *cibis* mollibus & facilibus. *Potus* ſit cereviſia & præcipue vinum in aſſuetis, in quibus herbæ quædam ſpirituoſæ infundantur: In *aëre* verſentur moderate calido, *ſomnus* ſit parcus, *exercitia* mediocria juvabunt. *Hilaritati* dent operam. reſpondeat *alvus*, ſi non natura, arte. In *Comate* vero *vigili* & *Apopl. ſang.* contraria fere omnia ſe habebunt.

FINIS.

[illegible] GROMMEE.

[illegible] zal'er tot ſenlijn.
[illegible] maaken;
[illegible] uur lijn;
[illegible] ſlaapen.
[illegible] ſekerlijk,
[illegible] deugen houd geſlooten,
[illegible] of door een ſneeg bedrijf
[illegible] heeft geſchooten.
[illegible] in de nood
[illegible] ſyn ſuiſter waſſen.
[illegible] de dood,
[illegible] op te paſſen.
[illegible] GROMMEE de regte paaden in,
[illegible] te verjaagen.
[illegible] groot gewin.
[illegible]
[illegible] Vriend
[illegible]
[illegible] vind.
[illegible] treeden.
[illegible] en geluk.
[illegible] ſlaapen.
[illegible] druk.
[illegible]

A. V. G.

C [illegible] IN

IN HONOREM

D. ABRAHAMI GRO[illegible]

CUM

Soporoſorum Morborum Praxin
publice doceret.

Ducitur ad cathedram magna comitante caterva
Doctorum, nec enim prius decedere vellet
Ex ſolio, niſi ſpes votorum certa fuiſſet.
Ille Soporoſos docuit depellere morbos
Multa quidem meruit tantarum gloria rerum,
Languida ſed mihi Muſa negat tibi dicere laudes,
Te tua nobilitas terra celebrabit in omni.
Fama per immenſum veſtras celeberrima laudes
Enumerare cupit. remanet tibi Gloria ſola,
Gloria ſola poteſt tantos æquare labores.

A. W. V. L. V. E.

HONORI

Ornatiſſimi Viri Juvenis

D. ABRAHAMI GROMMEE.

Cum poſt navatam ſedulam operam Medicinæ Jure meritiſſimo ordini Medicorum inſereretur.

Raro idem multis animus, ſententia raro
  Eſt multis eadem: facta cuique placent.
Hic ardet belli optatos videre tumultus;
  Fervet hic in vaſto gurgite dare necem.
Divitias hinc ille petit, petit alter honores,
  Nec tamen eſt cunctis una eademque via:
Rura colunt, curantque pecus, ſylvaſque pererrant:
  Hos diteſcendi ſtulta cupido tenet:
Quin Solis faciem fugientia viſcera terræ
  Auri perluſtret non ſatianda fames.
Sed quid divitias! etiam ad majora patranda
  Nominis aucupium multum animare ſolet.
Ah! nihil hæc proſunt, imo obſunt, rectius autem
  Artis amans doctus vadis honoris iter.
Ardua ſectaris generoſæ munera mentis,
  Quæque petis nullo ſunt peritura die.
Splendida præclari ſequeris documenta *Magiſtri*
  Pierium molles *Carteſiique* manus.
Hâcce viâ, his *Patribus* doctis defunctus, honoris
  Ad veri ſolium te penetraſſe vides.
Hâcce viâ fratrem mortis medicamine pellis,
  Unde peractorum præmia digna feres.
Sic datur optatos poſt tædia carpere fructus,
  Sic juvat (en!) doctos conſuluiſſe *Viros*.
Adſis *Phœbe* favens his fauſtis annue cœptis,
  Et Juvenem dextrâ propitiore rege.

Ad obſignandam cum voto omnis
prosperitatis amicitiam paucula
hæc ponere voluit

D. DE BRIES, *Med. St.*